Naumann
De Taciti et Suetonii in Othonis rebus componendis ratione

Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht
des Sophien-Gymnasiums zu Berlin. Ostern 1914.

De Taciti et Suetonii in Othonis rebus componendis ratione

scripsit

Erich Naumann

BERLIN
Weidmannsche Buchhandlung.
1914.

1914. Programm Nr. 78.

Imperatoris Othonis vitam praeter Tacitum et Suetonium Plutarchus et Dio Cassius composuerunt eaque de causa omnes, ut fit in eisdem rebus gestis describendis, inter se consentiunt. Sed apud Tacitum et Suetonium plurimi loci non modo rebus, sed etiam verbis inter se congruentes inveniuntur, ut operae pretium videatur esse inquirere, quae sit huius rei causa quamque in componendis rebus rationem illi scriptores sint ingressi.

Id ut videamus, primum necesse est illos locos conferre, quibus hic mirus consensus demonstratur. Sunt autem hi fere:

Tac. I, 13.	Suet. O. 3.
eoque Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum deposuerat.	omnium autem consiliorum secretorumque particeps . . . Poppaeam Sabinam tunc adhuc amicam eius, abductam marito demandatamque interim sibi, nuptiarum specie recepit.
Tac. I, 13.	Suet. O. 3.
mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit.	quare (adeo dilexit Poppaeam, ut ne rivalem quidem Neronem aequo tulerit animo) diducto matrimonio sepositus est per causam legationis in Lusitaniam.
Tac. I, 13.	Suet. O. 4.
Otho comiter administrata provincia primus in partes (Galbae) transgressus . . .	provinciamque administravit . . . moderatione atque abstinentia singulari. Ut tandem occasio ultionis data est, conatibus Galbae primus accessit.
Tac. I, 13.	Suet. O. 4.
. . . spem adoptionis statim conceptam acrius in dies rapiebat . . .	. . . eodemque momento et ipse spem imperii cepit magnam quidem . . .
	Suet. O. 5.
	speraverat autem fore ut adoptaretur a Galba idque in dies exspectabat.

Tac. I, 21.

interea Othonem . . . multa simul exstimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia.

Suet. O. 5.

. . . ad vim conversus est, instigante super animi dolorem etiam magnitudine aeris alieni.

Tac. I, 22.

non erat Othonis mollis et corpori similis animus . . .

Suet. O. 12.

. . . Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competit.

Tac. I, 22.

. . . urgentibus etiam mathematicis . . . e quibus Ptolemaeus Othoni in Hispaniam comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset . . . persuaserat fore ut in imperium adscisceretur.

Suet. O. 4.

. . . aliquanto maiorem (spem imperii cepit) ex affirmatione Seleuci mathematici. qui cum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens.

Tac. I, 23.

. . . studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris adfectaverat . . .

Suet. O. 4.

nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omisso . . .

Tac. I, 24.

. . . Maevius Pudens . . . eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret . . .

Suet. O. 4.

. . . quotiens caena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat . . .

Tac. I, 24.

. . . ut Cocceio Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dederit . . .

Suet. O. 4.

cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit emancipavitque. . .

Tac. I, 27.

octavo decimo Kalendas Februarias sacrificanti pro aede Apollinis Galbae haruspex tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit, audiente Othone (nam proximus adstiterat) . . .

Suet. O. 6.

ergo destinata die . . . mane Galbam salutavit, . . . etiam sacrificanti interfuit audivitque praedicta haruspicis.

Suet. G. 19.

. . . sacrificantem mane haruspex identidem monuit, caveret periculum, non longe percussores abesse.

Tac. I, 27.

nec multo post libertus Onomastus nuntiat exspectari eum ab architecto et redemptoribus, quae significatio . . . convenerat.

Suet. O. 6.

deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum convenerat . . .

Tac. I, 27.

. . . cum emi sibi praedia vetustate suspecta eoque prius exploranda finxisset . . .

Suet. O. 6.

. . . quasi venalem domum inspecturus abscessit . . .

Tac. I, 27.

. . . per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad miliarium aureum sub aedem Saturni pergit . . .

Suet. O. 6.

. . . praemonitis consciis ut se in foro sub aede Saturni ad Miliarium aureum opperirentur, ... proripuit se postica parte Palati ad constitutum.

Tac. I, 27.

ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem . . .

Suet. O. 6.

. . . a praesente comitatu imperator consalutatus . . .

Tac. I, 27.

. . . sellae festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt . . .

Suet O. 6.

tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit, . . . inter faustas adclamationes strictosque gladios . . .

Tac. I, 29.

. . . cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse, qui raperetur . . .

Suet. G. 19.

haud multo post cognoscit teneri castra ab Othone . . .

Tac. I, 31.

Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc corporibus et placatis animis, quod eos a Nerone Alexandriam praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros impensiore cura Galba refovebat.

Suet. G. 20.

. . . excepta Germanicorum vexillatione. ii ob recens meritum quod se aegros et invalidos magnopere fovisset, in auxilium advolaverunt . . .

Tac. I, 34.

. . occisum in castris Othonem vagus primum et incertus rumor. . . multi arbitrabantur compositum auctumque rumorem mixtis iam Othonianis, qui ad evocandum Galbam laeta falso vulgaverint.

Suet. G. 19.

Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissiparant,paucis temere affirmantibus transactum negotium, oppressos, qui tumultuarentur . . .

Tac. I, 35.

obvius in Palatio Julius Atticus specu-

Suet. G. 19.

. . . tanta fiducia ut militi cuidam oc-

lator, cruentum gladium ostentans, occisum a se Othonem exclamavit; et Galba 'commilito', inquit, 'quis iussit?'

cisum a se Othonem glorianti 'quo auctore?' responderit; . . .

Tac. I, 41.

extremam eius vocem . . . varie prodidere. alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset, et paucos dies exsolvendo donativo deprecatum: plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac ferirent, si ita e re publica videretur.

Suet. G. 20.

sunt qui tradant, ad primum tumultum proclamasse eum: 'quid agitis, commilitones? ego vester sum, et vos mei!' donativum etiam pollicitum .Plures autem prodiderunt, optulisse ultro iugulum et 'ut hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur', hortatum.

Tac. I, 41.

iuxta Curtii lacum . . . Galba proiectus e sella ac provolutus est.

Suet. G. 20.

iugulatus est ad lacum Curti . . .

Tac. I, 44.

plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit, omnesque conquiri et interfici iussit . . .

Suet. Vit. 10.

centum autem atque viginti, quorum libellos Othoni datos invenerat exposcentium praemium ob editam in caede Galbae operam, conquiri et supplicio adfici imperavit. . .

Tac. I, 47.

exacto . . . die . . . Otho . . . in Capitolium atque inde in Palatium vectus . . .

Suet. O. 7.

dein vergente iam die ingressus senatum . . . Palatium petit.

Tac. I, 49.

Galbae corpus . . . dispensator Argius . . . humili sepultura in privatis eius hortis contexit. caput per lixas calonesque confixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est.

Suet. G. 20.

ille (caput) lixis calonibusque donavit, qui hasta suffixum . . . circum castra portarunt . . . ab is Patrobii Neroniani libertus . . . eo loco, ubi iussu Galbae animadversum in patronum suum fuerat, abiecit. Sero tandem dispensator Argivus et hoc et ceterum truncum in privatis eius hortis Aurelia via sepulturae dedit.

Tac. I, 55.

at in superiore exercitu . . . legiones . . . senatus populique Romani oblitterata iam nomina sacramento advocabant . . .

Suet. Vit. 8.

consentiente . . . etiam superioris provinciae exercitu, qui prius a Galba ad senatum defecerat . . —

Tac. I, 62.

laetum augurium Fabio Valenti exercituique . . . ipso profectionis die aquila leni meatu . . . praevolavit . . .

Suet. Vit. 9.

praemisso agmine laetum evenit auspicium, siquidem a parte dextra repente aquila advolavit . . .

Tac. I, 74.

crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistulae offerebant pecuniam et gratiam . . .

Suet. O. 8.

. . . per internuntios ac litteras consortem imperii generumque se Vitellio optulit.

Tac. I, 74.

Otho . . . ad utrumque Germanicum exercitum . . . (legatos) specie senatus misit.

Suet. O. 8.

. . . auctor senatui fuit mittendae legationis (ad Germanicianos exercitus) . . .

Tac. I, 78.

. . . . creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse spe vulgus adliciendi. et fuere qui imagines Neronis proponerent: atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tamquam nobilitatem ac decus adstruerent, Neroni Othoni adclamavit.

Suet. O. 7.

ac super ceteras . . . blanditias ab infima plebe appellatus Nero, nullum indicium recusantis dedit . . . certe et imagines statuasque eius reponi passus est . . .

Tac. I, 80, 82.

parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. septumam decumam cohortem ex colonia Ostiensi in urbem acciri Otho iusserat; armandae eius cura Vario Crispino tribuno e praetorianis data. is quo magis vacuus quietis castris iussa exsequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentorio iubet. . . . fremit miles et tribunos centurionesque proditionis arguit, tamquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur . . . resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant; rapta arma, nudati gladii, insidentes equis urbem ac Palatium petunt. . . . militum impetus ne foribus quidem Palati coercitus, quo minus convivium inrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, vulnerato Julio Martiale tribuno et Vitellio Saturnino praefecto legionis, dum ruentibus obsistunt. undique arma et minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis, et quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec Otho

Suet. O. 8.

. . . animum fidemque erga se praetorianorum paene internecione amplissimi ordinis expertus est. placuerat per classiarios arma transferri remittique navibus; ea cum in castris sub noctem promerentur, insidias quidam suspicati tumultum excitaverunt; ac repente omnes nullo certo duce in Palatium cucurrerunt caedem senatus flagitantes, repulsisque tribunorum, qui inhibere temptabant, nonnullis et occisis, sic ut erant cruenti, ubinam imperator esset requirentes, perruperunt in triclinium usque, nec nisi viso destiterunt.

contra decus imperii toro insistens precibus et lacrimis aegre cohibuit, redieruntque in castra inviti neque innocentes.

Tac. I, 86.

sed praecipuus . . . pavor subita inundatione Tiberis . . . id ipsum, quod paranti expeditionem Othoni campus Martius et via Flaminia iter belli esset obstructum, . . . in prodigium . . . vertebatur.

Suet. O. 8.

. . . et primo egressu inundationibus Tiberis retardatus, ad vicensimum etiam lapidem ruina aedificiorum praeclusam viam offendit.

Tac. I, 89.

fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium adferrent . . .

Suet. O. 8.

. . . nulla ne religionum quidem cura, sed et motis necdum conditis ancilibus, (quod antiquitus infaustum habetur) . .

Tac. II, 31.

Otho consultavit trahi bellum an fortunam experiri placeret.

Tac. II, 33.

Otho pronus ad decertandum . . .

Suet. O. 9.

. . . quamvis dubium nemini esset quin trahi bellum oporteret, . . . quam primum tamen decertare statuit . . .

Tac. II, 33.

. . . idem . . . perpulere, ut Brixellum concederet ac dubiis proeliorum exemptus summae rerum et imperii se ipsum reservaret.

Suet. O. 9.

nec ulli pugnae affuit substititque Brixelli.

Tac. II, 14, 21—22, 24—26.

(Othoniani apud Alpes, ad Placentiam, ad Castorem vincunt.)

Tac. II, 41—44.

(Othoniani apud Bedriacum cladem accipiunt.)

Suet. O. 9.

et tribus quidem verum mediocribus proelis apud Alpes circaque Placentiam et ad Castoris . . . vicit; novissimo maximoque apud Betriacum fraude superatus est . . .

Tac. II, 42.

attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis qui descivisse a Vitellio exercitum ementirentur . . . omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutavere; et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quae causa salutandi, metum proditionis fecere. tum incubuit hostium acies . . .

Suet. O. 9.

. . . . fraude superatus est, cum spe conloquii facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex inproviso atque in ipsa consalutatione dimicandum fuisset.

Tac. II, 46.

. . . superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque. . . . praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet potuisse renovari bellum . . .

Suet. O. 9.

. . . quippe residuis integrisque etiam nunc quas secum ad secundos casus detinuerat, et supervenientibus aliis e Dalmatia Pannoniaque et Moesia, ne victis quidem adeo afflictis ut non in ultionem ignominiae quidvis discriminis ultro et vel solae subirent.

Tac. II, 47.

ipse aversus a consiliis belli 'hunc' inquit 'animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obicere nimis grande vitae meae pretium puto. quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. . . . an ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et rei publicae eripi patiar? . . .'

Suet. O. 9.

ac statim moriendi impetum cepit, ut multi nec frustra opinantur, magis pudore ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret, quam desperatione ulla aut diffidentia copiarum.

Suet. O. 10.

. . . proclamasse eum . . ., non amplius se in periculum talis tamque bene meritos coniecturum.

Tac. II, 48.

libellos epistulasque studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes abolet; pecunias distribuit parce nec ut periturus.

Suet. O. 10.

quidquid deinde epistularum erat, ne cui periculo aut noxae apud victorem forent, concremavit. divisit et pecunias domesticis ex copia praesenti.

Tac. II, 49.

atque illum supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum; namque abeuntibus exitium minitabantur . . . increpitis seditionis auctoribus vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. tum adlatis pugionibus duobus, cum utrumque pertemptasset, alterum capiti subdidit. et . . . noctem quietam, utque affirmatur, non insomnem egit: luce prima in ferrum pectore incubuit. ad gemitum morientis liberti servique . . . unum vulnus invenere. funus maturatum; ambitiosis id precibus petierat, . . .

Suet. O. 11.

atque ita paratus intentusque iam morti tumultu inter moras exorto ut eos, qui discedere et abire coeptabant, corripi quasi desertores detinerique sensit, . . . vetuit vim cuiquam fieri; . . .

. . . et in serum usque . . . praebuit. post hoc sedata siti gelidae aquae potione, arripuit duos pugiones et explorata utriusque acie, cum alterum pulvino subdidisset, . . . artissimo somno quievit. et circa lucem demum expergefactus uno se traiecit ictu . . ., inrumpentibusque ad primum gemitum . . . exanimatus est et celeriter (nam ita praeceperat) funeratus . . .

Tac. II, 49.

tulere corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis, vulnus manusque eius

Suet. O. 12.

multi praesentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes iacentis exosculati, . .

exosculantes. quidam militum iuxta rogum interfecere se . . .

ibidem statim nec procul a rogo vim suae vitae attulerunt; . . .

Tac. II, 50.

origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus praetorius; maternum genus impar nec tamen indecorum.

Suet. O. 1.

maiores Othonis orti sunt oppido Ferentio . . pater L. Otho . . . proconsulatum Africae . . . administravit. avus . . . senator est factus nec praeturae gradum excessit. . . . matre humili incertum an ingenua . . .

Tac. II, 50.

duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantumdem apud posteros meruit bonae famae quantum malae.

Suet. O. 12.

. . . ut mors eius minime congruens vitae maiore miraculo fuerit.

Quibus ex locis, quos multos vel verbis inter se congruere vidimus, prima specie conici potest Suetonium in Othonis vita describenda Tacitum auctorem secutum esse, eo magis quod Taciti historias plus decem annis ante illius Caesarum vitas vulgatas omnium aequalium admirationem movisse accepimus. Suetonium Taciti libros legisse manifestum est, cum et ipsum in Plinii minoris amicorum numero fuisse Tacitumque novisse ex Plinii epistulis appareat; neque tamen eum Tacito esse usum variis ex causis intellegitur.

Nam primum amborum scriptorum in componendis rebus consilium adeo discrepat, cum Tacitus res populi Romani historia complexus singula non sequatur neque magis imperatorum rationem habeat quam ad intellegendas res opus est, Suetonius contra rebus in imperatorum vitas dispositis „partes singillatim per species exsequatur" (Aug. 9) narratiunculisque gaudeat, ut fieri non potuerit, ut Suetonius in vitis conscribendis e Taciti historiis hauriret. Deinde Tacitus in primo historiarum libro supremos quindecim tantum dies imperatoris Galbae narrat, ut Suetonius in Galbae vita componenda historias nullo modo respicere potuerit. Nam quamquam dubium non est, quin Suetonius semel atque iterum annalium scriptore quodam usus sit, tamen eum delegisse constat, qui essent magis idonei quam Tacitus. Tertium Suetonium Tacitum secutum non esse demonstratur cum iis locis, in quibus, quamquam miro modo inter se consentiunt, tamen differentia quaedam lucide pernoscitur vel additis vel praetermissis quibusdam rebus, tum his, qui aut abhorrent a se aut apud Suetonium modo inveniuntur. Atque ut verum esse intellegatur, quod disputo, rem ipsam exemplis quibusdam demonstrabo.

De extrema Galbae voce Tacitus haec tradit: „alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset, et paucos dies exsolvendo donativo deprecatum; plures obtulisse ultro iugulum percussoribus: agerent ac ferirent, si ita e republica videretur." Suetonius scribit: „sunt qui tradant ad primum tumultum proclamasse eum: quid agitis, commilitones? ego vester sum et vos mei! donativum etiam pollicitum. plures autem prodiderunt optulisse ultro iugulum et ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur, hortatum." Consensus evidens est; uterque scriptor paene eisdem verbis utitur; neque tamen Suetonii narrationem ex historiis esse petitam apparet, cum apud Suetonium Galbae verba, quibus ut sibi parcant a militibus petit, sint multo accuratiora politioraque quam apud Tacitum. Deinde Tacitus (I, 47) Othonem rerum potitum

in senatu verba fecisse non refert, cum Suetonius (O. 7) eum dixisse tradat „se quasi raptum de publico et vi coactum imperium suscipere gesturumque communi omnium arbitrio", qua re itidem Tacitum Suetonii auctorem non fuisse ostenditur. — Eodem modo Tacitus (I, 74) et Suetonius (O. 8) senatum auctore Othone legatos ad utrumque Germanicum exercitum misisse narrant, sed Suetonius addit, quae fuerint legatorum mandata. — Deinde Suetonius in describenda Othonis suprema nocte (O. 11) eum artissimo somno quievisse affirmat, cum Tacitus (II, 49), cuius verba eo loco paene eadem sunt quae Suetonii, eum noctem quietam neque insomnem egisse modo dicat. — Denique Tacitus (L. 37) Othonem in praetorianorum castris ad milites contionantem facit, cum Suetonius (O. 6) tradat eum ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro contione testatum esse quam id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent. His locis collatis, qui quamquam maximus verborum consensus in eis perspicitur, tamen varietatem aliquam praebent, satis docuisse videor Suetonium in componenda Othonis vita Tacitum secutum non esse.

Errare eos, qui Suetonium Taciti sapientiam compilasse putent, argumentis nihil dubii relinquentibus porro illi amborum scriptorum loci docent, qui longe a se abhorrent. Tacitus enim (I, 14) Galbam Pisonem arcessi iussisse narrat, Suetonius (G. 17) Galbam eum in Palatio e media salutantium turba apprehendisse filiumque appellantem in castra perduxisse ac pro contione adoptavisse. Deinde Tacitus (I, 22) Ptolemaeum mathematicum Othonem instigasse tradit, cum Suetonius (O. 4) eum Seleucum appellet. — Tacitus (I, 24) Maevium Pudentem cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divisisse dicit, Suetonius (O. 4) Othonem ipsum fuisse. — Tacitus (I, 25) duos manipulares imperium p. R. transferendum suscepisse narrat, Suetonius (O. 5) primo quinque speculatoribus rem esse commissam. — Deinde Tacitus (I, 26) tradit milites postero id. Ian. Othonem a cena redeuntem imperatorem facturos fuisse, nisi incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent, cum Suetonius (O. 6) dicat Othonem in animo habuisse post adoptionem statim castra occupare caenantemque in Palatio Galbam aggredi, sed obstitisse respectum cohortis, quae tunc excubaret. — Tacitus (I, 34) Galbam in castra ire constituisse narrat, Suetonius (G. 19) eum in Palatio manere voluisse, quamquam plerique dissuaserint. — Tacitus (I, 74) Othonem Vitellio pecuniam et gratiam et quemcunque quietis locum prodigae vitae promisisse ait, Suetonius (O. 8) eum consortem imperii generumque se Vitellio obtulisse. — Tacitus (I, 90) Othonem pridie idus Martias ab urbe profectum esse dicit, Suetonius (O. 8) eo die, quo cultores deum Matris lamentari et plangere incipiant, is est a. d. IX. Kal. Apr. — Tacitus (II, 49) tradit milites Bedriaci, Placentiae aliisque in castris se interfecisse commilitones imitantes, qui iuxta Othonis rogum mortem sibi consciverant, Suetonius (O. 12) eos prae dolore armis inter se ad internecionem concurrisse dicit. Denique Tacitus (II, 49) Othonem tricesimo septimo, Suetonius (O. 11) octavo aetatis anno mortuum esse refert. His omnibus ex locis, qui evidentem paene discrepantiam praebent, intellegi puto Taciti historias a Suetonio excerptas non esse.

Reliquum est, ut eos locos enumerem, qui apud Suetonium modo inveniuntur. Atqui illum, qui res Othonis duodecim tantum capitibus explanat, cum Tacitus plus centum capita ad vitam eius componendam conferat, multum novi non referre manifestum est. Eo pertinent haec fere: ea, quae de Othonis avi patrisque vita narrat (O. 1); deinde tradit Othonem a. d. IV. Kal. Mai. Camillo Arruntio, Domitio Aenobarbo consulibus (anno p. Chr. n. XXXII) natum esse (O. 2), eum per libertam aulicam Neroni insinuatum esse (ib.), consularem quendam ab eo in senatum introductum esse (ib.), eum paulo ante Galbae caedem servo Caesaris decies

sestertium expressisse (O. 5), Neronis procuratores et libertos ad eadem officia ab eo revocatos esse (O. 7), eum quingenties sestertium ad peragendam auream domum dedisse (O. 7), eum nocte post Galbae mortem manes eius per omnia piaculorum genera propitiose temptasse et postero die in augurando tempestate orta graviter prolapsum versum Graecum obmurmuravisse (ib.) Deinde earum rerum unus est auctor, quas a patre comperit; narrat enim Othonem etiam privatum civilia arma detestatum esse neque cum Galba concursurum fuisse, nisi confisus esset rem sine bello transigi posse; deinde eum ad despiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum esse, qui cum cladem exercitus nuntiaret nec cui fidem faceret, gladio ante pedes eius incubuisset (O. 10). Denique Suetonius praeter levissimas res, quas neglegere possumus, Othonem paulo, antequam a vita discessisset, fratrem cohortatum esse, binos codicillos ad sororem et ad Messalinam Neronis exaravisse, se infra laevam papillam traiecisse solus tradit. Quibus ex locis, qui apud Tacitum non inveniuntur, satis apparere puto Suetonium Taciti historias non secutum Othonis vitam composuisse.

Postremo id quoque argumento esse puto, quod Suetonius, quem ipsum superstitiosissimum fuisse accepimus ex Plinii duodevicesima primi libri epistula, qua hic se a Suetonio somnio perterrito rogatum esse scribit, ut actionem causae differret, in enumerandis prodigiis, quae Othonis ab urbe profectionem praecedebant, quattuor praetermisit, quae apud Tacitum commemorantur. Neque enim dubium est, quin ille quoque, si Taciti historias excerpsisset, tempestatem adoptionis die ortam esse (Tac. I, 18), habenas a Victoria omissas (I, 86), erupisse cella Iunonis maiorem humana speciem (ib.), prolocutum esse in Etruria bovem (ib.) traditurus fuerit.

Sed causa illius inter utrumque scriptorem miri consensus quae sit si interrogamus, facere non possumus, quin utrumque in libris componendis eisdem scriptoris cuiusdam verbis eiusque auctoritate paene sola usum esse sumamus. Atque ut eos, qui auctorem ad verbum exscribere a Taciti moribus alienum fuisse putant, id quod opus eius cum Suetonii comparatum ostendat, errare demonstremus, imprimis id est spectandum rationem historiae scribendae antiquis temporibus a nostrae aetatis longe abhorruisse. Tum non erat rerum scriptoris fontium auctoritatem diligenter perpendere eisque inter se compositis res gestas scribere, sed omnes non modo res ipsas, sed etiam genus scribendi susceperunt. Orationis elegantia et copia erat maxima, historia igitur oratoris, ut ait Cicero de oratore II, 9,36: ,,historia vero . . . qua voce alia nisi oratoris immortalitati commendatur?" Atque Taciti temporibus rerum scriptores de ea re aliter non sensisse e Plinii minoris epistula (V, 8) intellegitur. Qui ut historiam scriberet ab amico admonitus haec scribit: ,,tu tamen iam nunc cogita, quae potissimum tempora aggrediar. Vetera et scripta aliis? Parata inquisitio, sed onerosa collatio. Intacta et nova? Graves offensae, levis gratia." Quibus ex verbis rerum scriptorem priorum libros inquisisse modo atque contulisse apparet ad ,,vetera" tempora describenda. Tacitum solum ab hoc more discessisse putare non possumus.

Quoniam Tacitum quoque unius scriptoris auctoritate usum esse ostendimus, nunc quaestio exsistit, quis fuerit hic scriptor, cuius liber tantam rerum materiam continebat, ut et rerum Romanarum scriptori et vitarum singularum narratori sufficeret. Id ut cognoscamus, primum eos historiarum locos enumeremus, quibus Tacitus aut auctores se habuisse dicit aut eos nominatim affert. Eosdem quos Tacitus nominat, Suetonii quoque auctores fuisse, ex amborum scriptorum miro consensu intellegitur. Sunt fere hi:

I, 41: varie prodidere. alii.... plures.... de percussore non satis constat: quidam .... alii... crebrior fama tradidit.

II, 3: vetus memoria, quidam... perhibent. fama recentior tradit....

8: sive ut alii tradidere

II, 37: invenio apud quosdam auctores....

101: scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo....

III, 22: quamquam alii tradiderint....

25: rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam.

28: Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim....

29: inter omnes auctores constat

51: celeberrimos auctores habeo

54: quidam iussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere...

59: multi tradidere....

75: ferebant plerique

IV, 83: origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptiorum antistites sic memorant....

84: haec de origine et advectu dei celeberrima: nec sum ignarus esse quosdam qui.... alii... deum ipsum multi..... quidam.... plerique.... plurimi

V, 2: memorant.... quidam... plerique.... sunt qui tradant.... alii....

3: plurimi auctores consentiunt

4: ferunt.... alii.... seu.... seu

5: quidam arbitrati sunt....

6: sic veteres auctores: sed gnari locorum tradunt.

His omnibus ex locis, quibus numquam unum se auctorem sequi, sed semper complures se habuisse dicit, Tacitus in opere componendo non, ut supra demonstravimus, unius scriptoris auctoritate videtur usus esse. Rem aliam esse primum Taciti libri cum Plutarchi vitis comparati ostendunt, cum hic saepe in auctoribus nominandis eisdem fere verbis usus multos locos iam in scriptorum fonte fuisse et ab iis ad verbum susceptos esse testis sit; deinde Tacitum nonnumquam, ut in pugna Cremonensi narranda, praeter auctorem, quem semper sequitur, alium quoque scriptorem consuluisse infra cognoscemus; denique, ut apud Suetonium videmus, qui quo loco Plutarchus Cluvio Rufo auctore usum se esse tradit (O. 3), ,,ut quidam tradiderunt" scribit (O. 7), plerumque scriptores de auctore pluraliter dixisse intellegimus.

De auctore ipso, quis fuerit, docti viri longe dissentiunt. E quibus Hirzelum, qui acta diurna scriptorum communem fontem fuisse conicit, errare cum ea re demonstratur, quod fieri non poterat, ut Othonis consilia conatusque, quibus rerum potiturus erat, in actis vulgarentur, tum ex eo intellegitur, quod Taciti, Suetonii, Plutarchi libri adeo inter se consentiunt, ut non actis, sed rerum scriptoris cuiusdam opere modo usi esse videantur.

Peter autem Cluvium Rufum auctorem fuisse putat, quod Plutarchus, cuius opus cum Taciti Suetoniique libris mirum quendam consensum praebeat, cum nominatim afferat (O. 3) idemque locus sine auctore propositus apud Suetonium inveniatur, denique quod Tacitus ipse sit testis se in annalibus componendis Cluvio Rufo usum esse (ann. XIII, 20, XIV, 2); ergo Cluvium esse omnium auctorem. Cluvii opus ad Vitellii mortem pertinuisse, cum Tacitus eum cum Silio Italico afferat eosque colloquii inter Vitellium et Flavium Sabinum facti et condi-

cionum pactarum testes fuisse prodat (Tac. II, 65); denique Cluvium opus post annum LXIX composuisse, cum Othonem imperatorem a Cluvio descriptum esse e Plutarchi verbis intellegatur.

Mommsenius Petri iudicium secutus haec addit: Omnia, quae apud Tacitum de Cluvii variis fortunis referantur, ita definite certis ipsius signis notata esse, ut manifestum esset ea ad verbum e Cluvii opere excerpta esse; deinde ea, quae Plutarchus Secundo oratore, Othonis ab epistulis, auctore tradat quaeque apud Tacitum Suetoniumque quoque inveniantur, e Cluvio exscripta esse apparere, cum ille, qui sit idem, qui in Quintiliani institutionis oratoriae libris et in Taciti dialogo de oratoribus commemoretur, Cluvii quoque aequalis amicus fuerit. Denique ea quoque, quae Tacitus de Vitellii praefectorum defectione narret, scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli illius composuerint, curam pacis et amorem rei publicae corruptas in adulationem causas tradidisse, ad Cluvium Rufum spectare.

Ea ut refellamus, primum nobis de Petri iudicio est disputandum. Plutarchus Cluvium Rufum nominatim affert; sed quo modo fit, ut Tacitus, quem Cluvii opus exscripsisse illi viri opinantur, nullam eius mentionem faciat? Neque enim dubium est, quin Tacitus, qui Othonem cognomen Neronis sibi imponi passum esse (I, 78) tradit, cum Plutarchus Cluvio auctore Othonem in publicis litteris illud cognomen usurpasse referat (O. 3), auctoris sui nomen commemoraturus fuerit, si illius testimonio suum iudicium opposuisset. Suetonius vero quod eadem refert quae Plutarchus (O. 7), id argumento non est Cluvium fuisse auctorem. Etenim illa verba iam a communi auctore tradita eaque de causa nominatim commemorata esse certum est, quia auctor de eorum fide dubitavit.

Ac Peter Cluvii opus ad Vitellii mortem pertinuisse dicit, quod Tacitus eum testem colloquii inter Vitellium et Flavium Sabinum facti fuisse tradat. Qua de re paucis nobis est disputandum. Atque primum quidem nihil est causae, cur Cluvium auctorem fuisse putemus, quod a Tacito eo loco nominatur; nam etiamsi non scripsisset, tamen Tacitus eum commemorasset non minus quam Silium Italicum. Deinde e verbis ipsis Tacitum Cluvio auctore usum non esse cognocitur, cum dicat: „verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum: voltus procul visentibus notabantur...." Paulo ante dicit: „saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere." Si Cluvius de ea re scripsisset, dubium non est, quin Tacitus eius, quem illos viros vidisse eorumque verba audivisse e Taciti verbis intellegitur, testimonium depicturus fuerit neque satis habiturus dicere „ut fama fuit" et „procul visentibus voltus notabantur"; immo eo loco demonstratur res Vitellii a Cluvio narratas non esse. Denique ne id quidem exploratum est Cluvium opus post annum LXIX composuisse; nam verisimile est Cluvium ea, quae a Plutarcho de Othonis cognomine tradita sunt, in Neronis supremis diebus describendis commemorasse, ut quantus imperatoris favor popularis fuisset, inde perspiceretur, quod Otho postea ad vulgi benevolentiam sibi conciliandam illud cognomen usurpavit. Nam Cluvium Neronis imperium descripsisse e Taciti annalibus (XIII, 20, XIV, 2) efficitur, et eum rem ad Neronis mortem et ad initium Galbae imperii perduxisse cognoscitur ex Plinii noni libri XIX. epistula, in qua Cluvium loquentem inducit: „scis, Vergini, quae historiae fides habeatur; proinde, si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas."

Nunc veniamus ad ea, quae Mommsenius de Cluvio Rufo dixit, omnia apud Tacitum de Cluvio relata ita definite certis ipsius signis notata esse, ut manifestum esset ea ad verbum e Cluvii opere excerpta esse. Ea ut videamus, omnes locos, quibus Tacitus de Cluvio refert, enumeratos consideremus. Sunt hi:

I, 8: ,,e provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus.“ Tacito, ut ea de Cluvio scriberet, haud scio an eius opus legendum non fuerit.

I, 76: ,,idem (iurasse in Othonem) ex Hispania adlatum laudatusque per edictum Cluvius Rufus; sed statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam.“ Verisimile non est Cluvium ea scripsisse, cum eius non nimis honeste factum simpliciter sine ulla exornatione narretur neque honesta praescriptione tegatur.

II, 58: ,,caeso Galba in Othonem pronus (Albinus, Mauretaniae procurator) nec Africa contentus Hispaniae angusto freto diremptae imminebat. inde Cluvio Rufo metus, et decumam legionem propinquare litori ut transmissurus iussit; praemissi centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent.“ Eo quoque loco Tacitus de Cluvio non plura dicit quam ad intellegendas res gestas opus est.

II, 65: ,,digressum a Lugduno Vitellium Cluvius Rufus adsequitur omissa Hispania, laetitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius, Caesaris libertus, detulerat, tamquam audito Vitelli et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum temptasset eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset; et interpretabatur quaedam ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia. auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet. Cluvius comitatui principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. Arrunti. Arruntium Tiberius Caesar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat.“ Hic est unus et solus locus, quo de Cluvio accuratiora quaedam referuntur. Neque tamen comperimus, quibus verbis se purgaverit. Cluvium autem veritum esse putamus in historiis suis scribere ,,laetitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius.“

III, 65: ,,saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum; vultus procul visentibus notabantur ...“. Iam supra demonstravimus Tacitum hunc locum e Cluvii opere non transscripsisse.

IV, 39: ,,... Hispaniam ... discessu Cluvii Rufi vacuam.“

IV, 43: ,,Helvidius igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli umquam sub Nerone periculum facessisset.“ His quoque locis nihil affertur, quod Cluvium ipsum attingat.

Atque ea, quae Mommsenius de Secundo rhetore dixit, non minus in Plinium quam in Cluvium Rufum cadunt; neque enim demonstrari potest Cluvium Secundi amicum fuisse. Denique in numero ,,scriptorum temporum, qui potiente rerum Flavia domo belli monimenta composuerunt“, non modo Cluvius Rufus, sed etiam Plinius aliique rerum scriptores sunt, cum Tacitus non uni scriptori, sed omnibus aequalibus adulationem vanitatemque obiciat. Atque illud crimen minime in Cluvium Rufum ipsum cadere ex eis intellegitur, quae Plinius de eo dicit (ep. IX, 19), cum eum loquentem facit: ,,scis, Vergini, quae historiae fides habeatur...“.

Ex his, quae dixi, satis apparet Tacitum Cluvium auctorem secutum non esse. Habere ita se rem argumento est hic locus (hac. hist. III, 27—28): ,,incesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut invitas cohortationes abnuenti Cremonam monstrassent. Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim..“ Tacitus hoc loco Plinium Messallamque modo nominat, cum Cluvium non respiciat; ergo Cluvius non est Taciti auctor. Nam si Cluvius eadem quae unus alterve rettulisset, narratio eius ad rem diiudicandam idonea fuisset, aut, si Cluvius in alium culpam contulisset, Tacitus eum

commemorasset, aut, si Cluvius res ducibus non nominatis narravisset, Tacitus sententiam eius vagam fuisse, qua de causa ipse nec Messallam nec Plinium sequi posset, scripsisset, aut, si Cluvius ea omisisset, Tacitus sine ullo satis certo auctore ea allata esse tradidisset, cum auctor potissimus, quo uteretur, illa ignoraret, aut, si Cluvius quoque dubitasset, utrum Messallam an Plinium sequeretur, Tacitus testimonium eius, qui aequalis fuerat, aeque ac Messallae Pliniique commemorasset.

Quibus rebus expositis satis docuisse videor Tacitum Cluvio Rufo auctore neque in Vitellii supremis diebus describendis neque in Vitellii cum Vespasiano bello gesto neque in Vitellii imperio narrando usum esse, ex quo perspicuum est, cum Tacitus unum auctorem sequi soleat, eum etiam in Galbae Othonisque imperio tradendo e Cluvii historiis non hausisse.

Nunc quaestio oritur, qua de causa Tacitus Cluvio auctore usus non sit. Neque enim dubium est, quin eum magni fecerit, cum eum virum facundum et pacis artibus (I, 8) et eloquentia clarum (IV, 43) appellet. Accedit, quod Cluvius rebus anno p. Chr. n. LXIX gestis interfuit. An putavit Cluvium non integrum esse? Sed ipse auctorem, quamquam alterius partis studiosum eum nominat, sequitur. An quia Cluvius non erat vir militaris? Sed Tacitus rei militaris imperitissimus erat, ut pugnae anni LXIX ab eo narratae demonstrant. An quia Cluvius fortasse partem modo rerum ab anno LXIX usque ad annum XCVI gestarum descripserat, qua re Tacitus commovebatur, ut fontem, qui uberior erat, sequi mallet? Quae si ita essent, tamen Tacitus eo secundo auctore uti potuit; immo causa gravissima fuit, cum non solum Tacitum, sed etiam Suetonium illius opere usum non esse constet.

Cuius rei causa haec est: Cluvius Vitellii imperium non iam descripsit; nam si fecisset, Tacitus testimonium eius, qui Vitellii Flaviique Sabini verba audiverat, commemorasset; neque eum Vitellii cum Vespasiano bellum gestum narravisse intellegitur ex eo loco, quo Tacitus dubitat, utrum Messallam an Plinium sequatur; neque eum Vitellii imperium componere coepisse constat, cum vix medio itinere substitisset; neque enim fieri potest, ut eum anno p. Chr. n. LXX mortuum esse e verbis Taciti „Hispaniam ... discessu Cluvii Rufi vacuam" effici possit. Sed Vespasiano imperante Cluvius, quem veritatis diligentissimum fuisse e Plinii epistula (IX, 19), ut supra demonstravimus, perspicuum est, bellum Vitellii cum Vespasiano gestum narrare non poterat, quin imperatori et omnibus, qui cum eo stabant, gravem iniuriam inferret. Itaque cum mentiri aut adulari nollet, tacuit. Sed quod ad tempus opus perduxit? Eum Othone mortuo finem scribendi fecisse verisimile non est, cum id magni momenti non esset; immo potius constat eum more annalium scriptorum rebus anni LXVIII memoriae proditis finem scribendi fecisse. Nam quod Cluvius apud Plutarchum commemoratur, id argumento non esse Othonis res ab eo esse narratas supra ostendimus; neque minus, quod Vitellii res gestas tractavit, impedimento est, ne res anno LXIX gestas non descripserit, cum proelium eius cum Vindice factum et imperium ei a militibus oblatum (anno LXVIII) in historiis narratum esse constet.

Quoniam Cluvium Taciti Suetoniique auctorem non fuisse ostendimus, nobis de eis scriptoribus est disputandum, qui a Tacito nominatim afferuntur. Sunt Messalla, quem Tacitus auctorem fuisse duobus locis (III, 25, 28) dicit, et C. Plinius, qui semel (III, 28) commemoratur. Atque primum de Messalla nobis est dicendum. Tacitus scribit (III, 9): „legioni tribunus Vipstanus Messalla praeerat, claris maioribus, egregius ipse et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset," et (IV, 42): „magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messalla adeptus est, nondum senatoria aetate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari." Quibus ex verbis eum anno p. Chr. n. LXX nondum XXV, Tito mortuo (anno LXXXI) igitur summum

XXXV annos natum fuisse intellegitur. Quo tempore mortuus sit, nescimus; sed si historiam scripsisset, dubium non est, quin Vespasiano aut Tito imperante opus compositurus fuerit. Atqui Tacitus (II, 101) auctorem suum Flaviorum aequalem fuisse dicit; Domitiano autem imperante fieri non poterat, ut Messalla, quem vetera tantum et antiqua mirari, sua autem aetatis studia irridere atque contemnere numquam desiisse e Taciti dialogo de oratoribus (c. 15) accepimus, historiam scriberet; ergo nondum XXXV annos natus opus componere debuit. Id minime verisimile esse ex eo perspicitur, quod omnes fere Romanorum oratores, qui praeter ceteros rerum scriptores florebant, iam provecta aetate ad historiam scribendam accesserunt, ut Servilius Nonianus, Cluvius Rufus, Tacitus, alii. Neque Tacitus, qui eum laudibus effert, eum rerum scriptorem fuisse umquam dicit. Quod a Tacito in bello Vitellii cum Vespasiano gesto describendo bis memoratur, ex eo efficitur eum commentarios belli, cui ipse interfuerat, scripsisse et Tacitum hunc librum eo loco inspexisse. Eodem pertinere verisimile est hos locos: III, 22: ,,ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint ...“ III, 29: ,,inter omnes auctores constat;“ III, 51: ,,celeberrimos auctores habeo.“ Messallam autem ne eo quidem loco, quo nominatim commemoratur, Taciti auctorem potissimum fuisse perspicuum est ex eo, quod testimonio eius, quamquam ipse rebus gestis interfuerat, Plinii auctoritas non obscuratur.

Ex his, quae exposuimus, satis apparere puto Plinium auctorem fuisse, quem solum Tacitus in historia componenda secutus est. Cum opus eius usque ad nostra tempora non manserit, ea sunt colligenda, quae de eo aut apud eum ipsum aut apud alios sunt tradita. Atque primum quidem C. Plinius Secundus ipse in naturalis historiae praefatione (20) haec dicit: ,,Vos quidem omnes, patrem te fratremque, diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii Bassi. ubi sit ea, quaeres? iam pridem per acta sancitum et alioquin statutum erat heredi mandare, ne quid ambitioni dedisse vita iudicaretur. proinde occupantibus locum faveo, ego vero et posteris quos scio nobiscum decertaturos sicut ipsi fecimus cum prioribus.“

Deinde (n. h. II, 199): ,,non minus mirum ostentum et nostra cognovit aetas anno Neronis principis supremo, sicut in rebus eius exposuimus ....“

Deinde (n. h. II, 232): ,,amnes retro fluere et nostra vidit aetas Neronis principis supremis, sicut in rebus eius retulimus.“

C. Plinius Caecilius Secundus de avunculi opere haec tradidit:

ep. V, 8: ,,avunculus meus idemque per adoptionem pater historias et quidem religiosissime scripsit.“

ep. III, 5: ,,pergratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis quaerasque, qui sint omnes. Fungar indicis partibus atque etiam, quo sint ordine scripti, notum tibi faciam; est enim haec quoque studiosis non iniucunda cognitio .... A fine Aufidii Bassi triginta unus.“

Denique Tacitus C. Plinium etiam in annalibus bis memorat, XIII, 20 (anno p. Chr. n. LV) et XV, 53 (anno LXV); loci sunt hi:

,,Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt“ et

,,... ad eliciendum vulgi favorem, quod C. Plinius memorat.“

Quibus ex locis Plinium Aufidii Bassi opus longius prosecutum ad Vespasiani imperium perduxisse intellegitur. Quo tempore Aufidius Bassus finem scribendi fecerit, non satis constat; eum Neronis res non iam narrasse e Plinii verbis est perspicuum; neque res Claudii ab eo perfectas esse verisimile est; nam, ni ita esset, Plinius opus non ,,a fine Aufidii Bassi“ inscrip-

sisset. Quibus terminis Plinii opus constitutum fuerit, ex eo cognoscitur, quod Tacitus eum h. III, 28, quo loco Cremonam oppugnari narratur (i. e. anno p. Chr. n. LXIX), auctorem affert; deinde ex eo, quod Plinius ipse in naturalis historiae praefatione dicit se Vespasiani, Titi, Domitiani res gestas descripsisse. Anno LXXVII, quo Tito naturalem historiam dedicat, historiam iam pridem peractam esse dicit; quibus omnibus ex locis intellegitur eum anno LXVIII vel LXIX scribere coepisse et anno LXXI componendi finem fecisse. Descriptae in opere erant res Claudii supremae, Neronis, Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani, Titi, Domitiani usque ad annum LXXI. Editum est opus eius post annum LXXIX demum, postquam Plinius ipse eruptione montis Vesuvii ignium interfectus est, a Plinio Caecilio Secundo sororis filio; nam ita Plinium constituisse e verbis eius est perspicuum: ,,iam pridem per acta sancitum et alioquin statutum erat heredi mandare, ne quid ambitioni dedisse vita iudicaretur."

Plinii historiarum opus uberrimum, copiosum accuratumque et politum fuisse e naturali historia, quod opus unum usque ad nostram memoriam mansit, effici cogique potest. Neque enim testes, quos sequi posset, ei deerant; noverat Vespasianum, Titum, Verginium eisque familiariter utebatur, deinde acta diurna et acta senatus ei in usum erant tradita, denique omnia, quae aequales de ea re scripserant, legerat, ut Corbulonis de rebus in Asia gestis libros (n. h. II, 180, V, 83, VI, 23, 40), ut Veteris de Germania opus (n. h. III—VI).

Restat ut quaeramus, Pliniine historiae respondeant eis, quae de Taciti Suetoniique fonte supra diximus. Opus eius, quo non modo Tacitus, sed etiam Suetonius et Plutarchus usi sunt, uberrimum fuisse et C. Plinius ipse dicit et intellegitur ex Plinii minoris verbis, qui dicit avunculum historias et quidem religiosissime scripsisse. Quanta eius in inveniendis componendisque rebus accuratio fuerit, argumento sunt illi loci, quibus de Galbae morte et de eius percussoribus refert (Tac. I, 41, Suet. G. 20), quibus prodigia enumerat (Tac. I. 86, 89, Suet. O. 8), quibus Othonis mortem narrat (Tac. II, 49. Suet. O. 11). Eum aliorum scriptorum libros in componendo opere secutum esse non putamus; immo aut ipse omnia viderat aut ab aliis audiverat, qua ex re nascuntur illae variae lectiones, quae saepius inveniuntur. Unum rerum scriptorem nominat, Cluvium Rufum, quem opus paulo ante Plinium edidisse et ab eo ex memoria prolatum esse probabile est. Quod Iulius Secundus a Plutarcho auctor nominatur, illud quoque testimonium a Plinio esse allatum arbitramur, praesertim cum etiam Plinius ad dicendum se contulisset et librum de arte dicendi scripsisset.

Atque Tacitus et Suetonius rerum scriptoris opere uti non poterant nisi eius, qui principia Vespasiani imperii depinxisset; Plinium si non totum Vespasiani imperium, at saltem principia usque ad Hierosolyma a Tito capta (anno LXXI) narravisse supra vidimus.

Cumque Tacitus consilio historiae scribendae capto secum consideraret, quem auctorem potissimum sequeretur, eum scriptorem delectum esse apparet, cuius opus usque ad Taciti aetatem pertineret; atqui nullum ante Tacitum scriptorem res longius perduxisse quam Plinium accepimus, cum Cluvium Rufum, ut supra demonstravimus, anno LXVIII finem scribendi fecisse neque Fabium Rusticum trium principum rebellionem narravisse verisimile sit.

Ea vero, quae Tacitus de rerum scriptorum adulatione dicit (II, 101), in Plinium cadunt; nam eum, qui Romae ante lucem ad imperatorem Vespasianum ibat, qui procurationes splendidissimas et continuas summa integritate administraverat, qui historiam naturalem Tito dedicabat, denique qui anno LXXIX Miseni praefectus classis erat, Flaviae domus studiosissimum fuisse his omnibus ex rebus est perspicuum.

Denique ex comparatione eorum scriptorum, qui omnes unum auctorem secuti esse nobis videntur, intellegi potest auctorem contrapositis, ut Quintiliani verbo utar, et superlationibus legentium animos commovere studuisse; quae omnia in Plinii naturali historia quoque inveniuntur.

Quoniam omnia contulimus, quibus Plinium Taciti Suetoniique auctorem fuisse demonstratur, nunc de eis rebus nobis est disputandum, quae ab illis discrepare videntur. Atque primum quidem id est spectandum, quod apud Suetonium plurimi loci inveniuntur, qui a Taciti verbis abhorrent. Cuius rei causae hae sunt: Prima est, quod saepe ea, quae auctoris libro continebantur, indiligenter ab eo suscepta sunt; quam ad rem hi loci pertinent:

O. 3: „omnium autem consiliorum secretorumque particeps die, quem necandae matri Nero destinarat, ad avertendas suspiciones caenam utrique exquisitissimae comitatis dedit." Ea nullo modo fieri potuisse inde apparet, quod Othonem eo tempore in Lusitania fuisse apud Tacitum (ann. XIII, 46) traditum est. Consules eius anni erant Nero tertium et Valerius Messalla, is est annus p. Chr. n. LVIII. Atque anno LIX demum Agrippinam mortuam esse constat; sequitur, ut Otho, cum per decem annos Lusitaniae eum praefuisse Suetonius ipse tradat, eo die in Italia versatus non sit.

O. 4: Suetonius Othonis mathematicum Seleucum nominat; hoc quoque loco Suetonius confundens illum cum Vespasiani mathematico, cui nomen erat Seleucus (Tac. II, 78), videtur erravisse.

O. 10: Suetonius narrat fratrem quoque Othonis Brixelli fuisse et ab imperatore ab amplexu et osculo dimissum esse, cum Tacitus (II, 48) Cocceianum, fratris filium, solum memoret. Suetonium errasse manifestum est; nam Titianus, qui exercitui praeerat, clade accepta Bedriacum fugit (Tac. II, 44); neque eum Bedriaco Brixellum se contulisse, quin Tacitus id traderet, putamus.

O. 14: Suetonius Othonem duodequadragesimo aetatis anno, Tacitus tricesimo septimo mortuum esse tradit. Suetonium indiligentem fuisse certum est; nam Otho anno p. Chr. n. XXXII. natus a vita descivit anno LXIX.

A patre autem, quem tribunum angusticlavium tertiae decimae legionis bello interfuisse tradit (O. 10), eum multa de Othone eiusque morte comperisse eoque auctore Othonis vitam auxisse probabile est; ita fit, ut interdum abhorreat a Tacito.

Denique eum praeter Plinium, e quo summam narrationum eum transscripsisse ostendimus, undique rerum materiam congessisse et etiam alios auctores, quorum nomina non sunt tradita, consuluisse eaque de causa saepius a Tacito discrepare omnes docti viri consentiunt.

Suetonium, qui ipse superstitione captus erat, in enumerandis prodigiis summam diligentiam posuisse supra demonstravimus; eo magis est mirandum, quod ille nonnulla non narrat, quae apud Tacitum referuntur. Id aliter enucleari non potest nisi quod Suetonius, ut erat indiligens, ea omisit aut Tacitus ea alio ex auctore transscripsit.

At ei, qui Plinium Taciti Suetoniique auctorem fuisse negant, id summo argumento esse dicunt, quod Tacitus (II, 48) Othonem ad Cocceianum fratris filium haec loquentem facit: „.... neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur umquam aut nimium meminisset." Apud Suetonium haec verba desunt, sed Plutarchus, quem et ipsum Plinium secutum esse constat, eadem narrat (O. 16): „*μήτε ἐπιλαθέσθαι παντάπασιν μήτε ἄγαν μνημονεύειν ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες*". Suetonius enim (Dom. 10) imperatorem Domitianum illum Cocceianum interemisse tradit, quod Othonis patrui sui diem natalem celebravisset. Itaque

illa Othonis verba ,,nimium meminisset" et „ἄγαν μνημονεύειν" post Cocceiani mortem demum videntur scripta esse eaque de causa Tacitus et Plutarchus Plinii opere, qui iam anno LXXIX mortuus erat, uti non potuerunt. Id ita non se habere cur existimemus, non longa demonstratione opus est. Neque enim intellegimus, qua de causa Plinius Othonem haec dicentem non finxerit, cum Otho optimo iure pro certo putare posset Vitellium a Cocceiano, cum se Othoni esse propinquum gloriaretur, poenas esse repetiturum. Aut Plinius, scriptoris rerum sororis filius, qui, quo anno avunculus mortuus est, annos XVIII tantum natus erat, haud scio an multo post avunculi mortem opus eius editum retractaverit eaque verba inseruerit.

Denique quod Plinius minor in epistulis, quas multas ad Tacitum scripsit, de ratione, quae Taciti operi cum Plinii intercedebat, nihil dicit neque Tacitum avunculi libris uti videtur scire, id ex eo intellegitur, quod apud Romanos omnibus temporibus rerum scriptores priores auctores sequi solebant. Plinius autem, qui res ad Vespasiani aetatem perduxerat, erat auctor, quem solum Tacitus in componendis historiis sequi poterat. Rem ita se habere Taciti amicus haud ignoravit neque miratus est.

Quibus rebus expositis satis docuisse videor et Tacitum et Suetonium in operibus componendis praecipuo Plinio auctore usos tam miro modo inter se consentire. Neque tamen dubium est, quin praeter Plinium etiam alios testes, ex quibus uterque opus augebat, interdum secuti sint. Suetonium in vita Othonis describenda praeter patris testimonium multorum rerum scriptorum, quos nominatim non attulit, libris abusum esse, Tacitum in bello Vitellii cum Vespasiano gesto narrando etiam Vipstani Messallae librum excerpsisse supra vidimus; sed cum fieri non possit, ut de Suetonii aliis auctoribus quicquam comperiamus, apud Tacitum non desunt loci, quibus eum praeter Plinium alio quoque testimonio usum esse demonstretur.

Atque primum verisimile est Tacitum, qui anno p. Chr. n. LV vel LVI natus anno LXIX adulescens erat, ea, quae Romae illo anno gesta sunt, ipsum vidisse; deinde ab eis, qui ea viderant et audiverant aut ipsi interfuerant, multa eum comperisse constat. Noverat Verginium, quem mortuum ipse laudavit (Plin. ep. II, 1), noverat Vespasianum et Titum, quibus imperantibus rem publicam capessivit (h. I, 1), familiariter usus est Plinio minore, cui et ab avunculo et a Verginio amicissimo multa de trium imperatorum rebellione memoria digna allata esse constat. Quo pertinent ea, quae narrat de Fontei Capitonis caede (I, 7: fuere, qui crederent), de Pisonis adoptatione (I, 14: sive ut quidam crediderunt), de Othonianorum dolo (I, 34: multi arbitrabantur), de Othonis ante profectionem ab urbe oratione habita (I, 90: sive ipsius ea moderatione, seu scriptor orationis), deinde quae tradit de Tito (II, 2: fuere, qui crederent), de amphitheatro Placentiae deleto (II, 21: municipale volgus credidit), de pugna ad Bedriacum facta (II, 42: seu dolo seu forte ... parum conipertum), alia. Optime eum ex memoria auctorem correxisse intellegitur ex eo loco, quo Capitolii incendium narrat (h. III, 71): ,,hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obsessi, quae crebrior fama, dum nitentes ac progressos depellunt." Neque enim dubium est, quin Plinius Vitellianos arguerit, cum in naturalis historiae XXXIV. libro (VII, 38) haec dicat: ,,aetas nosta vidit in Capitolio, priusquam id novissime conflagraret a Vitellianis incensum ...." Atque eum de auctoris fide interdum dubitasse argumento sunt hi loci:

II, 37: ,,invenio apud quosdam auctores, pavore belli seu fastidio utriusque principis ... dubitasse exercitus, num posito certamine vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent legere imperatorem, atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe

Paulini, quod vetustissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. e g o u t c o n c e s s e r i m apud paucos tacito voto quietem pro discordia .... expetitum, i t a n e q u e Paulinum .... sperasse corruptissimo saeculo tantam vulgi moderationem r e o r...."

II, 101: „scriptores temporum .... curam pacis et amorem rei publicae, corruptas in adulationem causas tradidere: n o b i s super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox fidem aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum Vitellium videntur." His locis videmus Tacitum ea, quae auctor tradiderat, non secutum, quid ipse sentiret, dixisse.

Denique eum, qui complures historias noverat, nonnullis locis ipsum librum refecisse documento sunt hi loci:

I, 11: „Aegyptum copiasque .... iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum: ita visum expedire, provinciam .... domui retinere."

I, 89: „nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat; sub Tiberio ...... (usque ad) .... longo bello materia."

II, 2: „haud fuerit longum initia religionis, templi (Paphiae Veneris) ritum, formam deae paucis disserere. ..... (usque ad) .... ratio in obscuro!!

II, 38: „vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido ..... (usque ad) ... sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit; nunc ad rerum ordinem redeo."

Atque quanta diligentia undique materiam congesserit, intellegitur ex Plinii minoris XVI. sexti libri epistula, in qua Plinius ad Tacitum scribit: „petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis." Deinde XXXIII. libri septimi epistula, in qua de Baeticae provinciae causa contra Baebium Massam acta loquitur, docet Plinium minorem etiam sua sponte ad Taciti opus contulisse dicentem: „auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras; quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio."

Ad extremum orationes, quae multae (I, 21, 29—30, 32—33, 83—84, II, 47) in historiis habentur, a Tacito excogitatas et insertas esse constat. Quibus expositis nos ostendisse putamus Tacitum ipsum multa adiecisse, quae aut ipse viderat aut ab aliis compererat.

Restat ut quaeramus, utrum Tacitus et Suetonius in componendis rebus etiam actis diurnis urbis actisque senatus usi sint necne. Apud Suetonium, quamquam eum acta populi et senatus inspexisse verisimile est, tamen desunt in Othonis vita loci, quibus id demonstretur; Tacitus quoque in historiis se illis actis usum esse non tradit neque putamus eum acta diurna, quae in annalibus saepius (III, 3, XIII, 31, XVI, 22) commemorantur, inspexisse. Acta senatus, e quibus se hausisse in annalibus (V, 4, XV, 74) tradit, quamquam in historiis non afferuntur, tamen in illo opere componendo ab eo excerpta esse cum inde est verisimile, quod ei, qui esset et senator et consularis, acta inspicere licebat, tum ex eo efficitur, quod omnibus locis, quibus de senatu loquitur, copiose et abundanter tradit. Hi sunt loci:

I, 19: „et patrum favor aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medii ac plurimi obvio exsequio, privatas spes agitantes sine publica cura. .... censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, maiore praetextu, illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus. placebat et Laconem praetorii praefectum simul mitti."

I, 47: „,... adcurrunt patres: decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores....."

I, 77: ,,redditus Cadio Rufo, Pedio Blaeso, Scaevino Prisco senatorius locus. repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant: placuit ignoscentibus verso nomine, quod avaritia fuerat, videri maiestatem, cuius tum odio etiam bonae leges peribant."

I, 78: „,.... statuas Poppaeae per senatus consultum reposuit."

I, 79: „,.... M. Aponius Moesiam obtinens triumphali statua, Fulvus Aurelius et Julianus Tettius ac Numisius Lupus, legati legionum, consularibus ornamentis donantur ....."

I, 85: ,,coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas; et privato Othoni nuper atque eadem dicenti nota adulatio. igitur versare sententias et huc atque illuc torquere, hostem et parricidam Vitellium vocantes, providentissimus quisque vulgaribus conviciis, quidam vera probra iacere, in clamore tamen et ubi plurimae voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes."

I, 90: ,,pridie idus Martias commendata patribus re publica reliquias Neroniarum sectionum nondum in fiscum conversas revocatis ab exilio concessit ..."

II, 10: ,,Vibius Crispus .... Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationem factitaverat, ad cognitionem senatus vocabat; nam recenti Galbae principatu censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur. id senatus consultum varie iactatum est .... sed .... traxerat magnam senatus partem, ut indefensum et inauditum dedi ad exitium postularent. contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris; dari tempus, edi crimina, quamvis invisum et nocentem more tamen audiendum censebant. et valuere primo, dilataque in paucos dies cognitio: mox damnatus est Faustus ....."

Tacitum his locis acta patrum inspexisse vel inde est perspicuum, quod semper fere vocabulis utitur, quae in senatu in usu erant, ut: censere, placere, decernere, reddere, trahere partem, valere, alia." Ex his, quae breviter exposuimus, apparere puto Tacitum actis diurnis urbis neglectis fere omnia, quae de senatu tradidit, ex senatus actis hausisse.

Atque haec hactenus; satis demonstrasse videor Tacitum et Suetonium, quos in rebus Othonis describendis miro modo inter se consentire vidimus, alterum alterius opus non excerpsisse, eos permultis libris usos non esse, sed in componendis rebus unum auctorem potissimum, C. Plinium, secutos esse. Restat ut de utriusque scriptoris auctoritate pauca dicamus.

Suetonium non in historiarum auctoribus, sed in vitarum scriptoribus collocandum esse primum est spectandum. Neque igitur multa de re publica, de civibus, de bellis refert, hoc unum secutus, ut omnia, quae de imperatore vel legerat vel audiverat, memoriae traderet. Deinde temporum, quibus quaeque acciderunt, ita est indiligens, ut nihil nisi diem et annum natalem Othonis enumeret. Summam eum diligentiam posuisse in narratiunculis fabulisque enarrandis resque levissimas copiosissime descripsisse supra demonstravimus. Tamen eius in componendis rebus singularis fides et diligentia est miranda, cum numquam de industria falsa eum tradidisse constet. Accedit, quod iuste de hominibus iudicat, ut mirandum non sit opus eius a multis hominibus lectitatum esse.

Tacitum in eorum rerum scriptorum, qui vitam Othonianam descripserunt, numero principatum tenere inter omnes constat. Nam res anno LXIX gestas in historiis tanta diligentia composuit, ut, quaecunque de eis temporibus accepimus, ei soli debeamus. Qua de causa recte Rothius (Suet. praef. XIV) iudicasse nobis videtur trium principum rebellionem obscurissimam

fore, nisi Taciti historias fortuna servasset. Atque non minus est mirandum, quo modo Tacitus auctorem, quem ad historias adhibebat, secutus quoque modo ab eo digressus sit; in rebus describendis eum a Plinio non abhorrnisse constat, sed ubi mores temporum, ubi consilia, meditationes, iudicia eorum, qui ea aetate florebant, illustrantur, omnibus his locis Taciti grávitas dicendi, natura et ingenium cognoscitur. Quantam aequalium admirationem historiae moverint, vel ex eo intellegitur, quod C. Plinii nomen Taciti opere plane obrutum est.

C. Hirzel, comparatio eorum quae de imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tacitum, Plutarchum et Suetonium.

Th. Wiedemann, De Tacito Suetonio Plutarcho Cassio Dione, scriptoribus imperatorum Galbae et Othonis.

E. G. Hardy, Studies in Roman history.

H. Peter, Die Quellen Plutarchs.

Th. Mommsen, Hermes 4.

H. Nissen, Rhein. Museum 26.

O. Clason, Plutarch und Tacitus.
Tacitus und Sueton.

L. Krauß, De vitarum imp. Othonis fide.

J. Gerstenecker, Der Krieg des Otho u. Vitellius.

F. Beckurts, Zur Quellenkritik des Tacitus.

M. Puhl, de Othone et Vitellio imperatoribus.

F. Kuntze, Beiträge zur Geschichte des Otho-Vitelliuskrieges.

Ph. Fabia, les sources de Tacite dans les histoires et les annales.

E. Groag, Zur Kritik von Tacitus Quellen in den Historien.

Druck von W. Pormetter in Berlin.